Brutios milites miniſtros fuiſſe Pilati, qui Dominum flagellarunt, & forte etiam in crucem adegerunt. Sunt autem Brutiani vel Brutii Populi, quos inde Coſentinos vocamus, cum pagis vicinis, qui ſunt, ut ferunt, ſupra trecentos. Hoc Salmeronis teſtimonium affert Gregorius a Jeſu & Maria, cujus verba in §. 6. adduximus.

Verum multa ſunt in præfatis Salmeronis verbis, quæ hiſtoricæ veritati contradicunt; alia autem, quæ in §§. antecedentibus fuerunt jampridem confutata. Falſum eſt, Brutios eſſe tantum Conſentinos, quum, præter Conſentiam, aliæ etiam fuerint Brutiorum urbes, Rhegium ſcilicet, Turium, Coſa, aliæque plurimæ, ut in prima parte vidimus; quod quidem omnibus Brutiorum geographiam vel a limine ſalutantibus liquido conſtat. Falſum eſt quoque, Pilati milites fuiſſe omnes Brutios, quum ex illis quatuor, qui Chriſtum cruci affixerunt, duo ſaltem fuerint, qui certe Brutii non erant, & de aliis duobus nihil certo habetur. Si Brutios milites aſſerit Salmeron, Gellii auctoritatem nequit jure pro ſe ipſo allegare, quod etiam ſuperius obſervatum eſt. Quod nequiverint Brutii eſſe ſimul milites, & miniſtri, jam etiam in §§. ſuperioribus probavimus. Sicque omnia, quæ contra Gregorium a Jeſu & Maria, & Donatum Calvum, attulimus nuper, poſſunt etiam contra Salmeronem, ejuſque verba, replicari.

Proindeque de aliis Scribentibus, qui in operibus ſuis dictum agunt, nec verbum nos facere intendimus; jam enim rationibus adductis omnia eorum argumenta, quæ ad unum idem reducuntur, confutari facile poſſe, quiſque deprehendet. Scommatibus vero, quibus ut plurimum argumenta proponunt, nullum efficacius reſponſum, quam ſilentium, exiſtimamus. Me-

lius